



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendi Dom. D.|| Leonardi || Rvbeni SS. Theolo-||giae
Licentiati Abbatis || Ordinis D. Benedicti Mo-||nasterij
Sanctorum Apostolorum Petri & || Pauli Abdinckouensis,
in ciuitate || ...**

Ruben, Leonhard

Padibornae, 600 [i.e. 1600]

VD16 R 3400

Capvt V. Quo fine doceant pseudoprophetae.

[urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1)

CAPVT V.

QVO FINE DOCEANT
pseudoprophetae.

Primus
finis vt
decipiāt.

FINES diuersos diuersi pseudoprophe-
tae habent. Primus ergo finis fit omni-
bus communis, vt scilicet decipiant. Ad
que finem se statim obtulit Satanas 3. Re-
gum 22. 20. Quærente enim Domino quis
decipiet Achab regem Israel? ait ille. *Ego
decipiam eum, & modum præscribens, sub-
dit, Egrediar & ero spiritus mendax in ore
omnium prophetarum eius. Cui Dominus,
Decipies & praualebis. Cuius rei & modum
& pœnam describens Ezechiel 13. 8. sic ait
ad falsos prophetas. Quia locuti estis vana,
& vidistis mendacium, ideo ecce ego ad vos, di-
cit Dominus Deus, & erit manus mea super
prophetas qui vident vana, & diuinant men-
dacium: in concilio populi mei non erunt, & in
scriptura domus Israel non scribentur, nec in
terram Israel ingredientur: & scietis quia ego
Dominus Deus: Eo quod deceperint populum
meum dicentes, Pax, & non est pax: & ipse
ædificabat parietem, illi autem liniebant eum
luto absq; paleis. Populo siquidem Dei, veri
prophetae, vt Ezechiel, Ieremias, & similes,*
præ-

prædicabant imminentem captiuitatē Ba-
bylonicā. His verò spretis, populus vt hoc
in loco, ita Ier. 6. deceptus fuit vanis falso-
rū prophetarum acclamationib⁹. Pax, pax,
quasi dicerent, nō venient Babylonii vt ca-
pianc ciuitatē: Quod si venerint, ita ciui-
tates vestrę circumdatę sunt mœnib⁹ & ag-
geribus, sic & loci natura, & ingenio homi-
nū munitę: vt facili negotio arceri queant.
Atq; ita liniunt parietem absq; paleis, dum
meris blanditiis agunt, & sumptuosa qui-
dem, magnaq; arte elaborata, & subtrata
incredibili artificio substruunt & excitant
ædificia. At cū vltimā manum ædificio
superbo volunt adhibere, corruit cum in-
credibili dolore machina vniuersa, q̄ nul-
lo bitumine, aut certē paleis cōiuncta fuit.

*Erit enim in eorum ædificio imber inundans,
vt ibidē v. 11. in furore Dei, & lapides grandes
ira ipsius & ventus procella vniuersa conuuls-
ans & dissipans.* Simile est q̄ idē propheta
eos aut sartores, aut pelliones mox in eodē
capite faciat, cū ostēdit eos cōsuere puluil-
los sub omniū axillis, de quib⁹ sequenti ca-
pite.

Quos autē maximē decipiūt? simpli-
ces & idiotas, & plebeios homines, paupe-
res sciētia, doctrina inopes. ps. 36. 14. Quo-
tus .n. quisq; eorū est, qui viros sacrarum
litera-

*Quos
maxime
falsi pros-
pheteleci-
pianc*

*Quale
hoc seculum.*

*Adam
quomodo
deceptus*

literarum aut diuinarum scientiarum armatura instructos aggredi conetur? si quos tamen ex horum numero in sua re-
tia pertrahunt, hos vel ob animi arrogan-
tiã, vel terrenarum rerum cupiditatẽ, aut
petulantis carnis libidinẽ ad se pelliciunt.
Est enim hoc seculum (prò dolor) apud
permultos Venereum, Bacchicum, Epicu-
riticum. Sic à primo falso propheta dia-
bolo curiosæ scientiæ amator deceptus est
doctissimus ille Adam, cum dixit Gen. 3. 4
*Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quod
in quocunq; die comederitis ex eo (scilicet fru-
ctu ligni scientiæ boni et mali) aperientur ocu-
li vestri & eritis sicut Di; scientes bonum &
malum.* At deceptum fuisse, etiam ab v-
xore, omnes nos fatendo ingemiscimus:
Sed & Euam deceptã esse, ipsa, & à quo, fa-
tetur, dicens: *Serpens decepit me, & comedi.*
Peccatum hoc maxima ignorantia confe-
cuta est, vnde postmodum faciliùs poste-
ritatem, maximè plebeios diabolus in er-
rores pellexit, partim per se, partim per
falsos prophetas. Hinc Isai. 3. 12. *Popule
meus. qui te beatum dicunt ipsi te decipiunt,
& viam gressuum tuorum dissipant.*

*2. Finis
ut ducãt*

Alter finis est, vt abducant discipulos
post se, variisq; sectis inficiant. Inter hæc
primum

primum est, quod D. Paulus inter cætera
 à Mileto mittens Ephesum, cum vocaf-
 set maiores natu Ecclesiæ, aliquando fu-
 turum prædixit Actor. 20. 29. *Ego scio,*
quoniam intrabunt post discessionem meam
lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et
ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa,
ut abducant discipulos post se. In eo quod
 alterum est: in hoc fine planè cum D.
 Paulo conuenit D. Petrus 2. Petri 2. 1. 2. 3.
 cum inquit, *Fuerunt pseudopropheta in po-*
pulo, sicut in vobis erunt magistri mendaces,
qui introducunt sectas perditionis, & eum qui
emit eos, Dominum negant; superinduentes
sibi celerem perditionem. Et multi sequentur
eorum luxurias, per quos via veritatis blas-
phemabitur, & in auaritia fictis verbis de vo-
bis negotiabuntur, quibus iudicium iam olim
non cessat, & perditio eorum non dormitat.
 Age christiane lector, quis magis blasphemauit Christum, quam qui ex sacris Biblijs sustulit verba hæc 1. Ioh. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, verbum (hoc est Christus) & spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt, & cui inuisum fuit verbum Homouision? Lutherus. Quis perfidis quibusdam monachis cupiditatis & libidinis luxuriæq; viam patefecit, cum per-
 E fida

Lutheri
fraus in
sacris lit-
teris per-
uertendis.

fida Deo sacrata virgine sacrilegas nuptias ruptis castitatis repagulis contrahens? Lutherus. Quis qui Missam in similes Andree Carolstadii nuptias, quo sæculares sacerdotes ad simile sacrilegium pertraheret composuit? Lutherus. Quis magis auaritię studuit, quàm is qui spe lucri cuiusdam, quam ex publicatione indulgentiarum sibi obuēturum arbitrabatur, frustratus, instar Iudæ proditoris, nomine reformationis Ecclesiam Christi prodidit? Lutherus.

*Lutherus
qua mor-
te dignus* Dignus ergo triplici nomine morte Lutherus, vt blasphemus cū filio Salmith Leu. 24. 23. eductus extra castra Ecclesię, lapidibus obruatur: vt libidinosus Asmodæo cum septem viris Saræ, Tob. 4. 8. enecandus tradatur, cum auaro Iuda laqueo suffocandus, è numero Apostolorum deleatur.

3. *Finis
auaritia.*

Tertius finis est auaritia, quam obiter iam attigimus, magis id ostensuri capite sequenti septimò, nunc sufficiat authoritas D. Pauli Tit. 1. 11. cū inquit, *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui & seductores, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet, turpis incrigratia.*

Quartus finis, vt furentur & rapiant: vt enim

Ut enim ij, qui veros prophetas secuti sunt, ut plurimum sua in Christi Ecclesiam & pauperes contulerunt, relinquentes quandoq; omnia, & ad pedes Apostolorum deponentes, maxime verò attendentes ad illud psal. 61. II. *Rapinas nolite concupiscere*: sic familiare est falsis prophetis de bonis Ecclesie & Monasteriorum rapinas agere, eadēq; spoliare. *Rapinas enim*, ut est Prou. 24. 2. *meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur*. ut de illis verè dici possit illud Amos 3. 10. *Nescierunt facere rectum, dicit Dominus. Thesaurizantes iniquitatem, & rapinas in adibus suis*. Et illud Isai. 3. 14. *Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra*. Est ne rapina pauperis in domo multorum, qui templa pauperis olim Christi, domos eorum qui relictis omnibus euangelicam paupertatē amplexi sunt penitus denudarunt, atq; adeo solo æquarunt, illis nihilominus rapinam bonorum suorū, ut Iudæos quosdam pios fecisse D. Paulus Heb. 10. 34. meminit, cum gaudio suscipientibus.

Sunt certè hi falsi prophetæ similes leoni de quo Nahū 2. 12. *Leo capit sufficiēter catulis suis, & necauit leonis suis: & impleuit prada speluncas suas, & cubile suum rapina.*

4. Finis
ut furentur & rapiant.

Leones
pseudo-
propheta

At quid subiungit? *Leunculos tuos comedit gladius: rapina enim eorū, vt est Prou. 21. 7. detrahent eos.* Tradam enim eos, inquit Dominus 4. Reg. 21. 14. in manus inimicorum eorum, eruntq; in rapinam, & vastitatem cunctis aduersariis suis. Quos enim aduersarios habuit Ecclesia, cū quæ Cæsaris erant, dabantur Cæsari: quæ verò Dei, quam liberalissimè Deo? At vbi emerferunt Ecclesiarum & Monasteriorū & bonorum: Ecclesiasticorum oppressores & direptores, accreuit & ira Dei, qui Isa. 6. 18. odio habet rapinam etiam in holocausto: & maledictio, vt duas apertissimas prophetias & Isaiaë & Ezechielis compleri indies in similibus videas: sic enim de his Isaia cap. 42. 22. *Ipse populus direptus & vastatus: laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, & non est qui dicat, Redde.* Simile illi quod in antecedentibus cap. 33. 1. dixerat. *Vae qui pradaris, nonne & ipse pradaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? cū consummaueris depredationem, depredaberis: cū fatigatus deseris cōtemnere, contemneris.* Quid verò de his Ezechiel? *Adduc, inquit cap. 23. 46. ad eas multitudinem, & tradam eas*

*Templo-
rū & Mo-
nasterio-
rū euer-
sores quos
modo pu-
niantur.*

in tumultum & in rapinam: Et lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum; filios & filias earum interficient, & domos earum igne succendent. Examina præsentia tempora pie lector, & sequens cap. 9.

Quintus finis, vt trucident, mactent, & perdant. Id quod Dauid psal. 36. 14. *Vt decipiant pauperem & inopem, & trucident, non passim omnes, sed rectos corde, ad modum eorum, qui Ioannis 10. 1. non intrant per ostium in ouile ouium, sed ascendunt aliunde, vt fures, & latrones. Fur autem, inquit Christus ibidem, non venit, nisi vt furetur, & mactet & perdat.* Hi similes Bacchidi qui 1. Machab. 7. 19. plurimos de populo mactauit, & mactatos in profundum putei magni, proiecit: sic falsi prophetæ animis primò Christianorum mactatis, eosdè vna cum corpore in profundum abyssi præcipitant, vndè confurgit fumus, vt fumus fornacis magnæ, offundens tenebras & aeri, & soli, vt D. Ioannes Apocal. 9. 1. 2. 3. vt bestia, quibus est potestas scorpionum. Scorpiones siquidem latenter venenum infundunt, & adeò feriunt, vt summum dolorem aculeis suis venenatis afferant: Hinc sequitur apud S. Ioannem *Cruciatu eorū, vt cruciatu Scor-*

5. finis vt
trucidēt,
mactent,
& perdat

Scorpio-
num na-
tura con-
uenit pseu-
doprophe-
tis.

py, cum percutit hominem. Falsi prophetae, ubi maxima calliditate, ut cap. 2. diximus, venerint, mox tamen, ut tempus & occasio tulerit, velut vulpeculae in aues domesticas insiliunt, & ut scorpiones sub finem veneno interficiunt. Qua sanctitatis specie & obseruantiae, aut potius vulpina calliditate fuisse dices Lutherum, sub initium suae haereseos, cum literis datis ad Leonem Romanum Pontificem concludit in haec verba. Quare beatissime pater prostratum me pedibus, T. B. offero cum omnibus quae sum & habeo, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te praesidentis & loquentis agnoscam. Haec ouina vox: sed quantum mutatus ab illo, cum impotenti mente & effrenata animi audacia ius Pontificium Vulcano exurendum VVittenbergae palam tradidit, & in libro, quo factum tam improbum defendit, hortatur Principes, ut correptis omnibus Pontificem & Cardinales omnes inuadant, & (o cruentam & sanguisugam bestiam) in eorum sanguine manus suas lauent. Sed nunquid hic Lutherus crudelior ipsa adultera Herodiade, cuius sceleratus animus solo capite sancti Iohannis Baptistae

*Lutheri
ficta erga
Romanum
pontificem
reueren-
tia.*

*Eiusdem
crudelis
animus &
quibus cru-
delior.*

Baptistæ fatiari potuit? Lutheri verò rabies, nec trucidatione nec mactatione Póntificum & Cardinalium expleri, nisi ipse etiam principibus Christianis, qui ab hac immani Pontificum cæde hætenus manus continuerunt, peluim offerat, cruorem illorum, quos vt Christos & inunctos Domini, nec tangere licet, pelui iniiciat ad abluendas parricidas manus, si qui essent, principes alliciat, ac demum manu-tergium ablutis manibus more aulicorum digna grauitate porrigat, hincè tibi ictus Scorpium videbitur O christiane Lector? Sufficiebat Pilato, si innocente Christo, per improbitatem & tumultum principum se consentiente damnato, manus suas sola aqua abluisset: Luthero vix ipsum mare cruore piorum completo sufficeret. Quanta erat mactatio, cùm eius præconio ducentæ amplissimæ arces & Monasteria, vnde largissimæ in pauperes & peregrinos elemosynæ distribuebátur in sola Fráconia incendio absumpta cõflagrarunt? Cur verò huiusmodi pseudoprophetæ, qui plerumq; sunt aut à religione, aut à clero apostatæ, vsq; adeo Monachis insidiantur, huius rei apertissimá causam reddit S. Augustinus, scribens enim tom. 8. in id psal. 132.

*Monasteriorum
euerfio
& quare
facta.*

*Monachis
quare
insultent
hæretici.*

Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Meritò, inquit, insultant nomini unitatis, qui se ab unitate præsciderunt. Meritò illis displicet nomen monachorū, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus: sed sequentes Donatum, Christum dimiserunt. Hæc ille. Ad huius crudelitatis confirmationem facit, quod constat plus quam centum rusticorum millia, partim in Germania, partim in Lotharingia interfecta fuisse, ducibus Munstero & Phifero. Quorum vterque gladio cæsus, hic in errore persistens, ille ad religionem veram conuersus expirauit. Demùm quas non seditiones, mactationes & cruentas trucidationes isti noui peperere prophetæ? Sangalli, quod est Heluetiorū oppidum, Anabaptista quidam utroq; parente spectante, fratri suo germano caput præscidit, asserens sibi id diuinitus imperatum. Id ab ipsorum rege Monasteriensi didicerat, olim quidem factore, postmodum Anabaptistarum rege, seu potius parricida & carnifice. Is enim inter cœnandum surgit à mensa, militem quendam proditionis accusat, cui mox manibus propriis caput amputat, in cœnaculum illotis & scelere pollutis manibus reuertitur, & cum

Munsterus & Phiferus mouent bellum rusticum.

Anabaptistarum tyrannis Sangallis

Regis Anabaptistarum tyrannis in militem & uxore.

cum laudis encomio funestum facinus cō-
 uiuis commemorat. Idem reginam vxo-
 rem condolentē egestati pauperum à cœ-
 na ad forum cum cæteris vxoribus, quas
 complures habuit, abreptam educit, ei-
 demq; omnibus spectantibus caput præ-
 scindit. Ad tam sceleratum facinus alij
 cantillant, & gratias agunt cælesti Patri:
 Rex ipse choreas ducit, & populo, cui vix
 quo famem incredibilem expleret ade-
 rat, vt idem faciat, persuadet. De his plura,
 cùm de eorum latrocinijs agemus.

Sextus finis his non dissimilis est, vt
 enim veri prophetæ id agunt cum Christo
 vt oues Ecclesiæ Ioannis 10. 10. vitam ha-
 beant & abundantius habeant: sic falsi
 prophetæ, vt pereant & oues, & ipsi. Id
 apertè asserit Ierem. cùm inquit cap. 27. 15.
Quia non misi eos, ait Dominus: & ipsi pro-
phetant in nomine meo mendaciter: vt eijciant
vos, & pereatis tam vos, quam propheta
qui vaticinantur vobis: Sic cæcus & dux
cæcorum, cùm cæcum duxerit, ambo in
foueam cadunt Matth. 15. 14. Sic cùm Lu-
cifer proiectus esset è cælo in terras, missi
sunt cum eo & angeli eius Apocalyp. 12. 9.
 Id verò explicans quod paulò superius di-
 xerat, ait. *Et cauda eius trahebat tertiam par-*


6. finis ve
pereat &
oues &
ipsi.

tem stellarum cæli, & misit eos in terram; sic cum pseudopropheta multos corrupisset, ipse missus est Apoc. 19. 29. in stagnum ignis ardentis sulphure. Sic, ut paulò ante diximus, Munsterus & Pfiferus duces belli rustici, cæsis centum suorum discipulorum millibus, ipsi quoque capite plexi sunt. Sic Michaeli Sellario Rottenburgi ad Neccarum fluuium, Anabaptistę, post similes fraudes, excisa lingua impia, igniti forcipes adhibiti, quibus dilaceratus animam efflauit. Sic Anabaptistarum Rex cū cõsiliarijs Cnipperdollingio & Crechtingo Monasteriensi ciuitate capta, aliquot menses ludibrio & in vinculis habiti, Anno 1536. horrendo supplicio diuexati & ad stygias paludes transmissi sunt. Nam palis alligati, diu ignitis forcipibus dilacerati, tandem adacto per pectus mucrone confossi sunt. Ad extremum, ut perpetua sceleris & vindictę eorum posteris testata esset memoria, singuli caueis ferreis includuntur & in editissimam vrbis eiusdem turrim suspenduntur. Rex quidem qui ante edito in loco in medio fori throno aureo tapete instrato infederat, mediõ ad hominis staturam cæteris excelsiùs constituitur. Sed de hoc genere fusius postea.

Nunc

*Michae-
lis Sellarij
Anaba-
ptista di-
ramors
& Regis
Anaba-
ptistarũ.*

Nunc posito quid, qua fide, qua conscientia, quo fine falsi prophetæ doceant: examinandum, quomodo populum docturi veniant.



CAPVT VI.

QVOMODO AD POPULUM VENIANT PSEUDO- PROPHETÆ.

VARIOS modos tradunt sacræ literæ, quo modo & ratione veniant falsi prophetæ. Quorum primus est, quod veniant nomine veri prophetæ, cuius rei exemplum extat 3. Reg. 13. 18. in eo qui decipit verū prophetā missum in Bethel cōtra Ieroboā. *Et ego, inquit, Prophetæ sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini.* Huic in eodē lib. cap. 22. nō dissimilis fuit Sedechias filius Chanaana. Hic cū Michææ prophetæ verū vaticināti de trucidatione Achab alapam inflixisset. *Méne ergo, ait, dimisit spiritus domini & locutus est tibi?*

Secundus modus est species simulatæ pietatis, quem explicās D. Paulus 2. Tim. 3. 5. inquit, *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autē eius abnegantes.* Sic ab initio

1. Veniunt
ut veri
propheta

2. Veniunt
specie pietatis.